

Band I., Nr. 239, Seite 286-289

Erzbischof Ruthard von Mainz bestätigt die von dem Domnus Burchard zu Ehren der Hl. Maria und des Hl. Nikolaus geschehene Stiftung des Klosters Comburg.

Ohne Ortsangabe, 1090.

In nomine sanctę et individue trinitatis. Ego Ruothardus, Mogontinensis dei gratia archiepiscopus, omnibus sanctę ecclesię fidelibus notum esse cupio, tam futuris quam presentibus, quod domnus quidam Burchardus, in honorem sanctę dei genitricis Marię et sancti Nicolai, in monte qui Kahenberch nominatur, monasterium quoddam construxit, ad quod ipsum locum, cum omnibus nunc in presentiarum illuc collatis iusticiis et pertinentiis prediorum et mancipiorum, seu quarumcumque rerum, ex toto super altare sancti Nicolai libera manu sua et fratrum suorum, comitis scilicet Rūggeri et Henrici, tradidit deo et sancto Nicolao in proprietatem, et predicti monasterii abbati in liberam dispositionem, monasterio et fratribus deo sub regula monastica inibi servituris ad utilitatem. Et ne unquam a posteris suis, vel quibuslibet personis, dei servitium deinceps illic destrui posset, postea domnus Burchardus prudenter idem cęnobium, cum omnibus suis pertinentiis, nunc collatis et dehinc conferendis, tempore domini mei, felicis memorię Wezelonis archiepiscopi, in presentia ipsius, archiepiscopali sedi Mogontinę subdidit, propria manu sua et fratris sui predicti Rūggeri tradendo absque omni contradictione ad altare sancti Martini. Ubi etiam ab eodem domino Burchardo firmissime statutum est et a domino meo Wezelone laudatum, ut fratres cęnobii illius, nunc ibi congregati et adhuc in Christo congregandi, quandocumque patre suo spiritali orbati fuerint, habeant liberam potestatem secundum regulam sancti Benedicti, inter se, vel undecumque, si opus fuerit, abbatem eligendi. Quem postquam fratres regulariter elegerint, hoc solum faciendum est, ut eum cum magna veneratione perducant ad archiepiscopum gratia suscipiendi ab eo virgam regiminis, absque omni prorsus contradictione episcopi vel alicuius. Preterea hoc etiam diligentissime notandum est, secundum statuta domini mei Wezelonis et domni Burchardi nulli abbatum huius cęnobii unquam licere de prediis ecclesię quicquam alicui sęcularium accommodare. Set si quisquam abbas, diaboli consilio, quod deus prohibeat, hoc decretum infregerit, fratres eiusdem cęnobii hanc a domino meo Wezelone et a me habeant licentiam, ut de hoc accusatum ac convictum deponant, et in eius locum iuxta predictam libertatem alium eligant. De advocati quoque electione hoc statutum esse notandum est, ut quemcunque abbas loci illius cum consilio fratrum

suorum ad defendendam monasterii libertatem et iusticiam utilem invenire possit, qui non pro terreno commodo, set pro ęterna mercede hoc patrocini-
um suscipere velit, hunc absque alicuius contradictione eligat, et bannum
legitimum, non iure hereditario, eum a rege suscipere efficiat. Cuius advocati
libero concessum est arbitrio, ut, si velit, semper post sanctam eptomadam
pentecostes II^a feria placitum habeat in villa quę dicitur Dungal, et non in
anno sepius, nisi ab abbate invitatus. In predicto autem placito ad servicium
eius debet abbas ei dare maltrum frumenti pro faciendo pane, et frisgingum
unum porcinum et duos ovinos, et vinum cęteraque ad hęc sufficientia. Si
autem hic advocatus temerario iure contra statuta aliquem faciat subadvoca-
tum, aliasque calumpnias vel iniurias monasterio, abbati, vel familię faciat,
omnino potestatem habeat abbas cum adiutorio episcopi et consilio fratrum
hunc reprobare, et alium sibi utiliozem undecumque eligere. Notum sit et hoc,
quid servitii domnus Burchardus statuisset abbatem eiusdem cęnobii debere
singulis annis domino meo Wezeloni et eius successoribus et ęclesię ipsius:
scilicet ut semper in festivitate sancti Martini super altare eius mittat mitram
archiepiscopalem, et duo corporalia; et ut nunquam cogatur abbas in expedi-
tionem ire, vel curiam frequentare, aut ad colloquium curiale ex iusticia
venire, nisi forte archiepiscopus eius spiritali consilio indigeat ad utilitatem
ęclesię. Qua necessitate cogente, fraterne invitatus, debet ad dominum suum
cum paucis monachis et servientibus inermibus karitative venire, et cum eo
esse, si opus sit, per triduum proprio servitio et non diucius, nisi diligenter
ab archiepiscopo rogatus, et tunc alimenta sibi et equis sufficienter acceptu-
rus. Hoc quoque statutum esse recordamini: si forte domnus archiepiscopus
semel vel bis in anno ad predictum cęnobium causa fraterne visitationis vel
alia aliqua causa veniat, ut abbas eum cum omni veneratione et ornatu sicut
domnum suum suscipiat, et secundum facultates suas una sola die et non
plus ei servicium dare faciat. Adhuc quoque statutum esse intelligite: ut qui-
cumque sit archiepiscopus, in eodem cęnobio semper prebendam ita plene
sicut monachus unus habeat, quę cottidie in refectorio fratrum super men-
sam principalem ponatur, et postea pauperibus in elemosinam eius erogetur,
et ut obitus et anniversarius eius cum missarum ac vigiliarum sollempniis
ibi diligenter semper celebretur. Ad horum omnium confirmationem, cum
utrique, scilicet dominus meus Wezelo et frater Burchardus, omnia decre-
vissent karta annotari, et kartulam ipsam sigilli ipsius inpressione insigniri,
priusquam hoc factum esset, persolvit sepedictus dominus meus, ad cumu-
lum detrimenti et doloris nostri, corporali dissolutione debitum moriendi.
Cui cum ego indignus peccator, ad comparationem ipsius nec etiam vermicu-
lus nominandus, nescio qua divina dispositione, in episcopium successissem,
primum duas vineas quas dominus meus Wezelo illuc tradidit, unam scilicet

III

in Rudenesheim¹, alteram in Lorecha, cum areis duabus ad eas pertinentibus, pro anima eius et mea, ego quoque tradidi ad idem cęnobium sancto Nicolao in proprietatem, et fratribus ad utilitatem; deinde cum consensu et rogatu predicti domini Burchardi kartulam istam secundum predicta statuta precepi diligenter componi, illud etiam secundum statuta domini mei Wezelonis addens ad confirmationem privilegii, ut, si ego, quod deus prohibeat, vel aliquis successorum meorum, prenotatum ius et leges eiusdem cęnobii ex aliqua parte velim infringere, vel de prediis et aliis rebus, nunc illuc collatis vel adhuc conferendis, aliquid inde auferre, abbas cum fratribus suis primum karitative per principalem prepositum cęterosque principes meos me studeat avertere; quod si non prosit, ut deinde querimoniam faciat toto conventui fratrum sancti Martini, et, si illud non prosit, ut postea faciat hoc idem privilegium recitari in audientia tocius sinodalis concilii. Ubi, si evidentia iniusticię per interventum circumsedentium fratrum meam pertinatiam vel alicuius successorum meorum non possit emollire, tunc demum auctoritate huius kartulę habeat licentiam eundi Romam ad sedem apostolicam, ut per eius auctoritatem cogamur ab incepta iniustitia desistere. Huius sancte sedis legationi si citissime non prebeamus assensum obędiendi, nulla diucius utatur abbas dilatione, quin, si velit, idem cęnobium sub predicta iusticia et lege tradat Romanę ecclesię ad altare sancti Petri, ad formam huius kartulę aliam suscipiens ab apostolica sede. Hęc omnia ut multis innotescant, statutum est, ut semper subcustos ecclesię sancti Martini hanc kartam in duobus annuis conciliis in audientia omnium circumsedentium vel stantium legat, et pro hoc singulis annis in posteriori concilio bizantium ab abbate vel nuntio eius accipiat, et si ipse alterutra vice hoc neglegat, nichil se ab eo accepturum fore cognoscat. Et ut hoc succedentium posteritati melius notum fiat, et semper stabile et inconvulsum permaneat, placuit nomina testium, tam clericorum quam laicorum, qui eidem constituto et pacto interfuerunt, annotari, kartulam ipsam nostri sigilli inpressione signari. Hi sunt testes: Adelmanus abbas sancti Albani. Godeboldus principalis prepositus. Embricho camerarius. Arnoldus custos. Anshelmus prepositus. Volcoldus decanus. Iohannes magister. Embricho cantor. Ebo prepositus. Richardus prepositus. Drochmarus. Guntrammus. Godescalcus. Zeizolfus. Regezo. Laici: Gerhardus comes. Eberhardus comes. Wiggerus comes. Růggerus de Husun et frater eius Heinrichus, et Heinrich de Nuwinstat. Burchart de Widichstat². Gozmarus comes. Heinricus comes. Heinrich. Heinrich. Ditheri. Sigefrid. Folmar. Embricho. Harthman. Wolfram. Marcwart. Adelbrath. Walteri. Arn. Anshelm. Vđelrich. Ludewich comes. Harderat. Gundekar. Heinrich. Morhart.

¹*Rudenesheim*, unermittelt.

²Ober- bzw. Unterwittstadt, Ravenstein, MOS.

IV

Giselbrath. Ernst. Elberich. Giselbrath vicedominus. Embricho. Dudo. Embricho. Wuluerich. Steuan. Folcnant. Wolfram. Zeizolf. Rūthart. Humbrath. Arnolt. Wigant. Wolfbero. Sigelo. Godebolt. Humbrath. Richolf. Eigelwart. Heinrich. Eberhart. Asmar. Vezelo. Wolfhart. Godebolt. Humbrath. Sigelo. Nanno. Ernst. Heinrich. Wigant. Aro. Wolfbero. Luzman. Wolfbero. Gebezo. Hertwin. Benzo. Wecil. (*Siegel.*).³

Anno dominicę incarnationis millesimo LXXXX., indictione XII., regnante Heinricho, magni Heinrici imperatoris augusti filio. Acta sunt hec Mogontię feliciter.

—

Der Textabdruck folgt dem Original.

Das jetzt verlorene Siegel war heraldisch links aufgedrückt, wie aus den vorhandenen Einschnitten im Pergament und den restlichen Wachsspuren noch ersichtlich ist. Auf dem Rücken steht von alter Hand in Unzialen: *Privilegium Ecclesie*.

Das zuerst in RAIMUND DUELLIUS: *Miscellaneorum, quae ex codicibus mss. collegit liber*, 2 Bde., Augsburg 1723-24, Bd. 2, S. 281, und weniger unbrauchbar, doch ebenfalls mangelhaft von JOHANN BURKHARD MENCKE: *Scriptores rerum Germanicarum praecipue Saxonicarum, in quibus scripta et monumenta illustria, pleraque hactenus inedita, tum ad historiam Germaniae generatim, tum speciatim Saxoniae sup. Misniae, Thuringae et Varisciae spectantia*, Bd. 1, S. 379 ff., herausgegebene *Comburgische Traditionsbuch mit Auszügen aus Urkunden von 1078–1108* findet sich am Schluss des WUB, Bd. I, S. 389-405, Nr. 1–22, vollständig nach dem Original abgedruckt.

³Die Indiktion zum Jahr 1090 ist 13.

Überlieferung und Publikationen

Lagerort:

StA Ludwigsburg

Signatur/Titel des Originals:

B 375 S U 57

Überlieferung und Textkritik:

Original. Pergamentkopie, Schrift des 13. Jh.: StA Ludwigsburg B 375 U 58. Notariatsinstrument enthaltend das von Abt Jodocus von St. Stephan in Würzburg ausgestellte Transsumpt der Bestätigungsurkunde Erzbischof Ruthards von Mainz von 1559 Mai 19: StA Ludwigsburg B 375 U 59.

Editionen:

JOHANN PETER VON LUDEWIG: Reliquiae manuscriptorum omnis aevi diplomatum ac monumentorum, ineditorum adhuc [...], 12 Bde., Frankfurt am Main und Leipzig [ab Bd. 10 Halle/Saale] 1720-41. , Bd. 2, Dipl. 4, S. 178. Mencke: Scriptores rerum Germanicarum, Bd. 1, S. 385, Nr. 1. Guden: Codex diplomaticus, Bd. 1, Nr. 16, S. 27. Crusius: Annales Suevici, Bd. 2, Buch 8, S. 244 (Auszug).

Weitere Angaben

Sprache:

Lateinisch

Ausstellungsort:

Ohne Ortsangabe

Ortsindex:

Comburg Wohnplatz (3320)

Comburg, Schwäbisch Hall, SHA

Laurach Wohnplatz (2679)

Laurach, Waldenburg, KÜN

Mainz, MZ

Neustadt an der Aisch, NEA

Oberwittstadt Wohnplatz (6214)

Oberwittstadt, Ravenstein, MOS

Rudenesheim

Tüngental Wohnplatz (3373)

Tüngental, Schwäbisch Hall, SHA

Unterwittstadt Wohnplatz (6217)

Unterwittstadt, Ravenstein, MOS